



**R. P. Francisci Svarez Granatensis, E Societate Iesv
Doctoris Theologi; Et In Conimbricensi Academia
Sacrarvm Litterarvm Olim Primarii Professoris Emeriti De
Divina Gratia Pars ...**

Continens Libros III. IV. Et V. De Avxiliis Gratiae In Generali, De Avxilio
Svfficiente, Et De Avxilio efficaci Gratiae Dei

Suárez, Francisco

Mogvntiae, 1652

II. Vtrùm auxilium sufficiens non solùm homini sit necessarium vt possit
operari, sed etiam vt operatur, aliquo modo tribuat.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94118](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94118)

quo ipsi Ecclesia tua precibus auctor ipse pietatis, & presta ut quod fideliter petimus, efficaciter consequamur, quid est enim, efficaciter consequamur, nisi ut Deus in nobis efficaciter operetur.

Et in primo tomo Conciliorum in ordine celebrandi Concilii ab Isidoro collectum, statim prope initium habetur oratio, in qua sanctus Spiritus invocatur, ut addit, & prius postulat ab illo gratia sufficiens, his verbis. *Dignare illi cordibus nostris, doce nos quid agamus, quod gradiamur, & ostende quid efficere debeamus, ut te auxiliante tibi in omnibus placere valeamus.*

Deinde petitur gratia hoc modo, *Esio salus & suggestor iudiciorum nostrorum, & infra clarius, tunc nos tibi efficaciter solus tua gratia dono, &c.* quæ oratio ferè eisdem verbis repetitur in 4. tomo Conciliorum, in quodam tractatu, Quomodo initianda sit Synodus; quæ habetur post Concilium Saleguntadiense, quod Concilium tempore Benedicti VIII. celebratum est, & ideo fortasse quidam vir doctus illam tribuit eidem Pontifici Benedicto, cum tamen nulla eius acta in Conciliis, vel Pontificiis epistolis habeamus, nec ipse adfuerit Concilio Saleguntadiensi, nec in illo de modo celebrandi Concilium actum sit, nec constat quis fuerit auctor illius tractatus, quin 4. tomo Conciliorum habetur, nisi quod à Burchardo refertur, & illi Concilio adiungitur. Verius tamen est & ordinem illum & orationem esse antiquiorem cum ab Isidoro referatur.

Ex hac ergo & similibus rationibus conuincitur illa diuisio, quia non postulat Ecclesia à Deo nisi orationibus vera auxilia, quæ à Spiritu sancto dari possunt, & Dei pro solent, & simili argumento vitur sæpe Augustinus ex orationibus Ecclesiæ, quæ non solum orat ut Deus illuminet infideles, ut possint credere, sed etiam, ut ex non credentibus credentes fiant, & similiter sumere solet argumentum ex promissionibus Dei, quibus non solum auxilia, quibus homines possint credere, sed etiam fidem ipsam promittit, sic enim ait dicto. lib. de prædest. Sanct. cap. 10. cum Deus promissit Abraham in semine eius fidem gentium, id promississe, quod fuerat ipse factur, non quod homines: nam etsi faciunt homines bona quæ pertinent ad colendum Deum, ipse facit ut illi faciant quod precipit, non ipsi faciunt ut ille faciat quod promissit. Satis ergo ex his omnibus diuisio hæc fundata & comprobata est. In rationibus autem dubitandi in principio positis multa peruntur, nimirum, quod sit illius partitionis diuisum, quid sit Auxilium sufficiens, & unde habeat, quod tale sit, & in quo ab efficaci distinguatur. Sed hoc vltimum vix potest vsque ad sequentem librum exactè declarari. Cætera verò in sequentibus capitibus prosequemur.

CAPVT II.

Utrum auxilium sufficiens non solum homini sit necessarium ut possit operari, sed etiam ut possit operari, sed etiam ut operetur, aliquo modo tribuat.

Ratio dubitandi esse potest, quia si auxilium sufficiens illa omnia conferret, non solum daret posse, sed etiam operari, & ita non distingueretur ab efficaci: quia nihil amplius auxilium efficiat dare potest. Consequens est falsum, ut vidimus; ergo necessarium dicendum est auxilium sufficiens non dare necessaria ad operandum, sed tantum ad potestatem operandi; & confirmatur, quia ad operandum non est solum necessarium auxilium proueniens, sed etiam cooperans; ergo si auxilium sufficiens daret necessaria ad operandum daret etiam au-

xilium cooperans: hoc autè repugnat distinctioni datæ, & eius explicationi: nam auxilium cooperans non est nisi quando est ipsa operatio, iuxta dicta in præcedenti libro; ergo si auxilium sufficiens includit cooperans, nunquam ab operatione separatur, quod est contrarium rationi auxilij tantum sufficientis.

Ut sensus huius questionis & punctum difficultatis melius percipiantur, duo sunt in auxilio sufficienti distinguenda. Vnum est quid per se & formaliter conferat potentiam, v.g. voluntati. Aliud est quasi proximus finis, propter quem datur. nam illud prius pertinet quasi ad effectum formalem auxilij; hoc autem antè spectat ad effectum in genere causæ efficientis, est enim auxilium veluti forma quædam indita potentia, & ideo necesse est, ut aliquem effectum formalem in illa habeat, & quia datur tanquam forma operatiua, propter aliquam operationem datur, quam non formaliter, sed efficienter conferre potest: sicut grauitas formaliter confert pondus, seu inclinationem ad inferiorem locum, motum autem effectiuè: unde effectum formalem huius auxilij omnes conueniunt esse priorem operatione, & separabile ab illa, quia tunc auxilium dicitur tantum sufficiens, quando ex illo sequitur operatio, etiam si cætera habeat quæ ad sufficientiam requiruntur. Hinc conueniunt omnes hoc auxilium dare posse illud opus, propter quod datur, quia sine auxilio spiritus sancti pie operari non possumus, ut lib. 3. ostensum est, cum auxilio autem spiritus sancti possumus operari, ut per se notum est, & docet Concil. Trid. sess. 6. cap. 11. & 13. & can. 8. 22. ergo quando homini datur auxilium cui ipse non cooperatur, saltem recipit per auxilium posse operari, & quia potestas operandi necessaria est ad operandum, ideo auxilium sufficiens aliquid ad operationem necessarium confert: in quo considerandum est aliquod auxilium dici posse sufficiens in suo genere, seu ex parte, ut illuminatio ex parte intellectus, inspiratio ex parte voluntatis, & sic de aliis; aliter verò dici auxilium sufficiens, & quasi collectiuè, & omni ex parte, & de hoc posteriori procedit propriè questio, an auxilium simpliciter sufficiens quoad omnia in actu primo includat etiam necessaria ad actum secundum, quæ interrogatio in priori sensu locum non habet, ut per se clarum est.

Aliqui ergo de hoc ipso auxilio simpliciter sufficiente distinguunt auxilia necessaria ad posse, vel ad operari, & dicunt auxilium sufficiens includere auxilia necessaria ad posse, non ad operari, & consequenter docent dare posse in suo genere, non tantum includere men completè cum omnibus requisitis ad agendum, auxilia necessaria ad quis constitui potens, interdum sumitur ex nuda potentia sufficiente in suo genere ad agendum, etiam si aliqua requisita desint, ut homo habens visum potentiam dicitur potens ad videndum, etiam si nondum speciem habeat: completè autem dicitur potens, si potentiam habeat & requisita omnia, ut visum, speciem, lumen, &c. Atque ergo dicti Authores auxilium sufficiens dare posse tantum priori modo, non tamen posteriori, quia licet det potestatem sufficientem in ratione principij proximi, non tamen dat concursum necessarium ex parte Dei, nec complementum virtutis quod debet etiam incipere ab ipso Deo, & non datur nec incipit, nisi quando homo operatur: & aliqui hoc confirmant, quia ad operandum necessaria est Dei prædestinatio, vel prædefinitio; sed hanc non includit auxilium sufficiens: ergo non includit omnia necessaria.

Nihilominus contrarium verum censeo. Prius verò quàm id declarem & probè, aliam distinctionem præmitto auxilij dupliciter sufficienti, scilicet affirmatiua

Duo in gratia sufficienti re notanda.

Gratiam sufficientem non includere auxilia necessaria ad posse, & consequenter non tantum includere men completè cum omnibus requisitis ad agendum, auxilia necessaria ad quis constitui potens, interdum sumitur ex nuda potentia sufficiente in suo genere ad agendum, etiam si aliqua requisita desint, ut homo habens visum potentiam dicitur potens ad videndum, etiam si nondum speciem habeat: completè autem dicitur potens, si potentiam habeat & requisita omnia, ut visum, speciem, lumen, &c. Atque ergo dicti Authores auxilium sufficiens dare posse tantum priori modo, non tamen posteriori, quia licet det potestatem sufficientem in ratione principij proximi, non tamen dat concursum necessarium ex parte Dei, nec complementum virtutis quod debet etiam incipere ab ipso Deo, & non datur nec incipit, nisi quando homo operatur: & aliqui hoc confirmant, quia ad operandum necessaria est Dei prædestinatio, vel prædefinitio; sed hanc non includit auxilium sufficiens: ergo non includit omnia necessaria.

Assertio non affirmatiua

ua vtri-
que.
Gratia suffi-
ciens tri-
plex.

cer proximè & remotè: proximè appello quando homo per auxilium in se receptum potest immediatè aliquam operationem efficere sine interuētū alterius prioris operationis, qua impetret maius auxilium. Remotè appello, quando homo nondum recepit in se totum auxilium necessarium ad certū opus, habet tamen illud à Deo paratum, si ad illud se disponat, vel illud impetret. quam distinctionē sumo ex Concil. Trident. sess. 6. cap. 11. dicente, *Deus impossibilia non iubet, sed iubendo monet & facere quod possis, & petere quod non possis, & adiuuat ut possis.* nā illud verbum, *facere quod possis*, indicat eum, cui hoc iubetur, habere auxilium proximè sufficiens, tum quia ab illo immediatè postulat ut faciat, tum quia in hoc solum distinguitur illa potestas ab ea quam Concilium indicat subiunctis verbis, *& petere quod non possis*, nam in his insinuat auxiliū remotè sufficiens: nam qui nondum potest, nondum habet auxilium proximè sufficiens. v. g. ad contritionem habendam, si tamen oret, recipiet illud & iuuabitur ut possit contriti, & ideo dicitur habere auxilium remotè sufficiens ad contritionem priuquā oret, quia habet illud paratum, si oret. Vnde ad habendum remotè auxiliū sufficiens ad vnum actū v. g. contritionis, necesse est ut habeat auxilium proximè sufficiens ad alium actū, v. g. orationis, vel alterius dispositionis ad maius auxilium. Atque ita auxilium remotum vnius actus respectu, reuocatur ad proximum respectu alterius, ideoque de proximo loquimur, & in eo tota difficultas versatur. Aduerto autem hunc modum auxiliij sufficientis remoti solum inueniri in his, qui aliqua vocatione vel excitatione supernaturali preuenti sunt, de quibus solum nunc agere intendimus. Alio verò modo dici potest auxilium sufficiens quasi remotissimū quod ex parte Dei homini offertur sub aliquo modo, vel conditione, quamuis nondum per aliquod supernaturale auxilium inchoatum in homine sit, de quo in vltima parte huius libri dicam.

4.
Probatur
Assertio ex
Concil.
Trid.

Hic ergo positis dicendum est auxilium proximum & completè sufficiens ad aliquem actum ita dare potestatem operandi, ut vel actu in homine quidquid ad actualem operationem necessarium est tanquam primum & ab operatione distinctum ac separabile, vel in proxima eius potestate constituat, quidquid ex parte Dei concomitanter necessarium est, etiam si ab operatione hominis non sit distinctum, nec separabile. Probatur primò ex citatis verbis Conc. Trid. *Deus impossibilia non iubet, sed iubendo monet, & facere quod possis, & petere quod non possis, & adiuuat ut possis*, vbi loquitur de homine prauento per gratiam, imò & iustificato: nam de huiusmodi homine docet quomodo præceptis obligetur, & illa valeat implere. Duos autem modos auxiliij sufficientis, ut supra dixi, insinuat, vnus est potestatis proximæ, per quam potest homo aliquid immediatè facere, nulla alia dispositione, vel oratione premissa. Alius est potestatis remotæ, quæ non est per se & proxima potestas actu efficiendi, ad quæ est tantum remotè sufficiens, sed ad alium, quo mediante potest nouum auxilium obtinere quo possit proximè actum vltiorem efficere. Vnde consequenter colligitur ex mente Concilij præter illos duos modos non reperiri aliud auxilium sufficiens in homine receptum, ac proinde in tali auxilio sufficiente debere includi totū id, quod ad actualem operationem liberam necessarium est, & quod id totū aut sit homini datum, aut ex parte Dei ita præparatum, ut in libera eius potestate sit constitutum.

Deinde idē Conciliū paulo inferius in eodē capite inquit, *iustificatos in eadē gratia, quam acceperunt, proficere.* quæ quidē potestas sufficientiæ profectō est eum commune sit omnibus iustis, & multi ea non vtantur. Illam autem declarat & probat Conci-

lium, dicens, *Deus namque sua gratia semel iustificatos non deserit nisi prius deseratur ab ipsis.* cuius rationis vis in eo consistit, quod Deus paratus est dare iustis quidquid necessarium est ad proficiendum in gratia. nam si hoc beneficium ex se & sine ipsorum culpa denegaret, eos planè desereret; quia verò non deserit, paratus est illos auxiliari. Ergo supponit Concilium ad illam potestatem & sufficientiam adiutorij necessarium esse, ut ex parte Dei sit ita homini paratum, ut sit in sua potestate. Simile argumentum fuit ex cap. 13. vbi docet, iustum posse cum diuino auxilio perseverare, si velit, hoc est enim quod ait, *Nemo sibi certi aliquid absoluta certitudine pollicetur, tamen si in diuino auxilio firmissimam spem collocare & reponere omnes debent.* quæ est enim hæc spes, nisi quia certi esse debemus, ita esse paratum nobis auxilium ex parte Dei, ut quod per illud possumus, simpliciter possimus? & reddit Concilium rationem ex eodē dogmate, dicens: *Deus enim nisi ipsi illius gratiæ defuerint, sicut cepit opus bonum, ita perficiet, operans velle & perficere, ergo ex intentione Concilij, ut homo simpliciter possit aliquid quod sine Dei auxilio facere non potest, necessarium est ut veliam recepit quidquid necessarium est ad tale opus faciendum, vel si quid deest, illud habeat in potestate sua promptum & paratum ex parte Dei.*

Quidam verò modernus scriptor docuit aliquod auxilium gratiæ esse necessarium ad opus efficiendum, quod neque Deus dat, neque ex se paratus est dare etiam iustis, neque etiam homo potest aliquid facere quo illud obtineat, & nihilominus sine illo vel dato, vel oblato posse subsistere, auxilium sufficiens per sola auxilia excitantia: hanc autem doctrinam defendendam explicuit Concilium & dogma illud, *Deus neminem deserit, nisi prius deseratur ab ipso.* De sola gratia habituali & sanctificante, non de gratia auxiliante, ita ut sensus sit Deum neminem priuare sua amicitia, iustitia, vel gratia, nisi ratione alicuius peccati, quod prius ipse homo deserat Deum.

Sed profectō supernacanea fuisset doctrina Concilij in illo sensu, quis enim dixit vnumquod Deum solet priuare aliquem gratia & iustitia, priusquam ipse peccando deserat Deum, ut oportuerit Concilium dogma illud in illo sensu tradere, præterquam quod in illo sensu esset inutile principium illud ad doctrinam, quam Concilium tradit, confirmandam. Nam Concilium in cap. 11. principium illud adducit, ut probet esse in iustorum potestate in accepta iustitia proficere. Hoc autē non potest ex illo principio inferri, si in illo sensu intelligatur. Nam licet Deus non auferat gratiam habitualement à iusto, si in ipsum iustificatum non iugiter virtutem influat, nihil gratum ac meritum apud Deum efficiet, ut idem Concilium docet c. 16. & consequenter nec posset in gratia proficere. Loquitur ergo Concilium de desertione quoad auxilia necessaria ad crescendo in gratia, docetque hoc Christi auxilium, seu influxum virtutis, qui antecederet comitari, & subsequi debet opera, ut Deo sint grata, non defuturum iustis nisi ipsi deserant Deum, & in hoc sensu Deum non deserere iustos quoad actualia auxilia necessaria, nisi prius ab ipsis deseratur. Nec minus certum est Concilium in cap. 13. fuisse in eodē sensu loquutum. Expresse enim dicit, *sicet homo de futura sua perseverantia certus esse possit, nihilominus in diuino auxilio firmissimam spem collocare debere, & subiungit rationem.* Quia Deus nisi ipsi illius gratiæ defuerint, sicut cepit opus bonum, ita perficiet operans velle & perficere. Ad concipiendam autem firmissimam spem in diuino auxilio de perseverantia,

6. *De omni-
bus homi-
nibus idem
aroma in-
telligitur
S. August.
Et alius SS.
Patribus.*
tia, non satis est, certos nos esse Deum non priuatu-
rum nos gratia habituali, si non peccemus, sed o-
portet etiam esse certos non defuturum nobis au-
xilium necessarium ad non peccandum, si nos Deo
non deserimus. In hoc ipso sensu loquitur Concilium,
& sunt valde notanda hæc verba: nam in eis eui-
denter loquitur Concilium etiam de auxilio efficaci,
tale enim est auxilium quo Deus velle & perficere operatur in nobis.

*Maximè ex
mentis S. Au-
gust. qui il-
lus rationes
dicit esse ju-
stas.*
Præterea dogma illud sumptum est ex August. l. 1.
de nat. & grat. c. 26. qui in dicto sensu aperte illo v-
titur. Intentio enim Augustini in illo capite est,
contra Pelagianos ostendere gratiam, qua Deus ius-
tificat impium, non solum dari ad tollenda peccata
commissa, sed etiam ad peccandum, ne noua com-
mittantur, & rationem reddit, quia non solum gratia
indigenus, vt à peccati agitudine sanemur, sed etiam, vt de
cetero rectè ambulare possimus, quod quidem sani etiam non
nisi illo adiuvante poterimus. quod ait nobis præstari
per mediatorem Iesum Christum Dominum nostrum
qui sanat egrotum, & viuificat mortuum, id est, ius-
tificat impium cum ad perfectam sanitatem, hoc est, ad per-
fectam vitam, iustitiamque perduxerit, non deserit, si non de-
seratur, vt pie semper, iusteque viuatur. In quo contextu
non potest ratio illa subsistere, nisi sensus sit, non
deserere Deum iustos, non tantum quoad gratiam
datam non tollendam, sed etiam quoad danda aux-
ilia necessaria ad rectè viuendum, si ab ipsis non
deseratur. quod declarat exemplo oculi, qui licet sit
plenus sanus, nisi candore lucis adiutus non potest cernere.
sic (ait) iustus, nisi diuinitus iuuetur, non potest
viuere, sentiens quod sicut oculus simpliciter sine
luce videre non potest, ita iustus sine nouo gratiæ
adiutorio, idèque Deum non deserere illum, ne-
gando tale adiutorium. Vnde concludit: Sanat ergo
Deus non solum vt delectat quod peccauimus, sed vt præstet et-
iam ne peccemus. vtique quantum in ipso est, sic e-
nim dicitur Deus præstare illud omnibus iustis,
non quia in effectu omnes illud recipiant, sed non
per Deum, sed per eos stat, si illud non recipiunt.

Denique Augustin. in lib. ad articulos sibi falsò
impositos, art. 7. vel potius Prosper ad obiectiones
Gallorum in 7. in eodem sensu vitur eodè princi-
pio, vt probet eos, qui post gratiam acceptam pec-
cant, non ideo peccare, quia deserantur, id est, quia
auxiliis necessariis deserantur, sed quia ipsi peccant,
ideo deserunt; generalius verò etiam de peccatoribus
loquitur August. ferm. 88. de tempore, dicens. Fideliter
& firmiter credat dilectio vestra, quare nunquam prius
Deus deserit hominem, nisi prius ab homine deseratur. Et vt
doceat hoc etiam in peccatoribus verum esse, subi-
iungit. Cum enim & semel & secundo & tertio vnusquis-
que graui peccata commiserit, expectat tamen illum Deus.
idemque repetit. Prosper ad obiectiones Vincent,
in 7. vbi etiam non solum de iustis, sed etiam generaliter
sententiam profert. Deus priusquam deseratur,
neminem deserit, & multos desertores sepe conuerit. Vnde
non loquitur specialiter de desertione quoad ablationem
gratiæ habitualis, sed magis de desertione
per absolutam denegationem alicuius auxilij sim-
pliciter necessarij ad salutem, vel ad non pec-
candum.

In eodem sensu dixit Fulgentius lib. 1. ad Mo-
nimum cap. 13. Iustus deseritur à Deo, qui deserit Deum.
& Anselm. lib. de Concord. præscient. sic gratia
subsequitur donum suum, siue paruum, siue magnum sit,
vt illud dare non deficiat, nisi liberum arbitrium nolendo
rectitudinem quam accepit, deserat; vbi addendo illam
particulam, siue paruum, siue magnum, ostendit
apertè non de gratia habituali sola, sed de vniuersis
donis gratiæ id verum esse; maximè ergo de
auxilio necessario ad salutem: & sanè quamuis
certissimum sit, Deum non deserere iustum aufe-
rendo gratiam sanctificantem, si ipse illam non

abiciat peccando, non minus videtur necessa-
riam, vt illam non deserat per absolutam denega-
tionem auxilij necessarij ad non peccandum, quia
hoc quodam modo maius malum est: nam ex hac
desertione sequitur & ipsum peccatum, & ipsa e-
tiam gratiæ iustificantis amissio. Quod si Deus
non deserit iustum, denegando illi ex se aliquod
auxilium necessarium: ergo offert illa, eaque in
hominis manu & potestate ponit, vt habeat illa,
si velit; ergo hanc potestatem includit etiam auxi-
lium sufficiens, vt simpliciter ac verè sufficiens sit.
Supererant verò duo declaranda circa propositio-
nem illam, Deus non deserit nisi deseratur, intel-
lectam quoad auxilium. Vnum est quomodo intelli-
genda sit de auxilio sufficienti, aliud quomodo de
efficaci, sed primum tractabitur cap. post. posterius
in lib. sequenti.

Addo denique generalem doctrinam Concilij
Senonen. in decretis fidei cap. 15. vbi cum dixisset
mansisse in nobis post peccatum liberum arbitrium
ad opera salutis, subiungit. Neque enim libe-
rum arbitrium asserentes diuinam excludimus propterea
gratiam, &c. sed iuxta Scripturam eò extendimus, vt huma-
na voluntas misericordie præuentis auxilio suffulta, &
interiori quodam & occulto secretoris inspirationis afflatu
contacta sese conuertat in Deum, Deo appropinquet, & ad
illam veram gratiam se se præparet, qua tandem accepta sit
ad vitam æternam. In quibus verbis aduerto & pon-
dero, non solum dicere Concilium per hoc auxi-
lium posse homines se conuertere in Deum, sed di-
cit se conuertere & præparare ad gratiam sanctifi-
cantem, non quia id semper fiat: nam statim dicit,
illi gratia resisti posse, & lapsius resisti, quia illam
habuerunt, quibus Christus Dominus dicebat,
Quoties volui congregare filios tuos, &c. & noluiisti,
Math. 23. sed ita loquutum est Concilium, vt
significet in manu eius, qui tale auxilium habet,
posse aliquid operari, quo se præparet ad vltio-
rem gratiam, ac subinde ad illam dispositionem
nullo indigere auxilio, quod vel non habeat, vel
in manu eius & potestate non sit, & hoc decla-
rans subiungit. Neque tamen tanta gratia necessitas libe-
ro præiudicat arbitrio, cum illa semper sit in promptu. ergo
quod auxilium necessarium ad operandum vel sit
actu receptum, vel sit in promptu, omnino neces-
sarium est ad habendum libertatem veram ad hu-
iusmodi actus, (& quod idem est) ad habendam
simpliciter potestatem, quam dare debet auxilium
sufficiens.

Duo autem sunt ad libertatē arbitrij necessaria, Quæ sint
vnū est posse facere actum, aliud posse non facere, necessaria
etiam supposita integra facultate faciendi, ex qua ad illam ar-
duplici potestate prior dici potest fundamentalis, bitrii liber-
& quasi inchoans libertatem in actu primo; po- tatem, quoad
sterior verò voluntati dans modum potestatis in- ad vsum
differentis, & quasi complens libertatem. Vtra-
que autem potestas debet subsistere cum auxiliis
gratiæ, posterior quidem cum efficaci, de quo in
libro sequenti dicemus; prior verò cum sufficien-
ti, & ad hoc dixit dictum Concilium necessarium
esse vt auxilium Dei in promptu sit, vtique totum
auxilium necessarium ad opus, vt aperte dicunt il-
la verba, Neque tanta gratia necessitas, &c. & ratio est
clara, quia ad potestatem quæ ad vsum, vel non
vsum liberum sufficiat, non satis est nuda, seu
remota potestas voluntatis, sed necessaria est po-
tentia proxima, id est, cum omnibus requisitis
ad operandum, vt constat ex vulgari definitione
libertatis, quam explicui in lib. 1. de Auxil. Omnia
autem auxilia requisita sunt necessaria ad operandum:
ergo omnia illa sunt necessaria ad auxilium
sufficiens, vel actu data, vel ita ablata, vt in prom-
ptu sint, seu in potestate hominis; & declaratur
amplius, quia nostra voluntas nuda & auxiliis
gratiæ

Denegatio
auxilij ne-
cessarij quo-
modo sit ma-
ius malum,
quam pec-
catum.

7.
Liberum ar-
bitriū ma-
net in no-
bis ad ope-
ra salutis,
post pecca-
tum; ex
Conc. Se-
nonensi.

gratia destituta, non habet proximam libertatem ad actus supernaturales, quia vel non habet naturalem potestatem actuum illorum, vel ad summum habet quandam inchoationem cum capacitate recipiendi per gratiam eius actiuitatis complementum; & ideo Augustinus interdum dicit, naturam humanam per peccatum primi parentis amisisse libertatem ad efficiendum opera salutis, quia amisit gratiam & indignum se reddidit auxilijs eius: & conuerso dicitur per Christum accipere illam libertatem, quia recipit gratia auxilia, quibus efficitur potens ad tales actus efficiendos; ergo ut talis libertas sit plena, & proxima in ordine ad vsum, debet habere omne auxilium necessarium ad opus in se, vel in manu & potestate sua; sed auxilium proximum sufficiens constituit voluntatem in tali actu libertatis: ergo omnia illa includit.

Præterea ratione morali in diuina Scriptura fundata hoc videtur sufficienter probari: nam ei qui recipit auxilium verè sufficiens ad opus necessarium ad salutem, & illud non facit, sed vocationi resistit, imputatur carentia operationis, ita ut nullam habeat excusationem; ergo oportet ut per tale auxilium habeat vel accepta, vel parata, & in manu sua omnia auxilia ad tale opus faciendum necessaria. Antecedens patet ex verbis Christi, si non venissem, & loquutus fuisset eis; peccatum non haberent: nunc autem excusationem non habent de peccato suo. Ioan. 15. Et hoc ipsum probant omnia loca Scripturæ, in quibus peccati redarguuntur homines, qui per gratiam sufficientem non operantur; nam si hoc illis ad culpam tribuitur, profectò excusationem non habent. huiusmodi autem sunt loca illa, Quoties volui congregare, &c. & nolui, Matth. 23. Vos semper Spiritui sancto resististis, Act. 7. Exspectaui ut faceret vias, & fecit labrysas, Isai. 5. Qui enim fieri potest, ut Deus inde fructus expectet, vnde scit nasci non posse sine quodam auxilio, quod ipse nec dat, nec paratus est dare, nec vllò modo est in potestate actiua terræ, seu vitis, id est, in hominis potestate. Consequentia autem prima probatur ex eodem loco Isaiæ, vbi subiungit Deus, Iudicate inter me & vineam meam, quia est quod debui vltra facere vinea mea, & non feci ei? Profectò si illi homines indiguissent aliquo auxilio Dei ad ferendum fructum à Deo expectatum, & auxilium illud non habuissent, nec in se ipsis receptum, nec à Deo ita oblatum, ut in eorum potestate esset habere illud, si velint, merito Dei interroganti, Quid amplius facere debui? respondere possent, magnum aliquid debuisse facere, & non fecisse, nimirum illis conferre modum, quo possent obtinere auxilium illud, sine quo fructum ferre non poterant. Illa ergo Dei interrogatio aperte supponit habuisse auxilium sufficiens, ita ut ex parte Dei nihil necessarium ad fructificandum illis defuisset.

Dicit fortasse aliquis scrupulosus verborum ponderator, Deum quidem nihil ex his, quæ debet facere, omittere, nec ex his quæ dare debet, aliquid denegare; nihilominus tamen negare aliquid auxilium quod nemini debet, etiam nisi absque illo opus fieri nunquam possit. Sed hoc dictorum verborum vim non euacuat. Nam in primis licet Deus absolute non debeat alicui auxilia sua; si tamen vult hominem ita obligare ad fructum faciendum, ut excusationem non habeat, si non fecerit, debet omnino aliquo modo ex dictis illi dare omnia auxilia necessaria, nullo dempto. Deinde Cyrillus lib. 1. Isai. sic legit hæc verba, Quid faciam vinea mea quod non fecerim ei. vbi ablato nomine debiti declaratur, nihil ex parte Dei debuisse quod ad ferendum fructum esset necessarium, quod sic exponit Cyrillus. Quid boni illi defuit, ut inutiles fie-

rent? Si enim rerum ad vsum, & utilitatem necessarium quippiam à me plantaueram forte pretermissem fuerit, causa nihil dicam, neque penam exigam; quid enim faciam (inquit) quod non feci? Cum verò rebus ei vtilibus plenam, nulliusque rei indigam fecerim, &c. si nullius rei indignam, profectò neque alicuius auxilijs omnino necessarijs. Vnde Chrysostomus eadem verba expendens homil. 12. in Math. Id ipsum (inquit) hoc est considerandum in loco, quid scilicet oportuerit fieri quod à Deo factum posse negari, & Athanas. de Pasion. & Cruc. Domini, non longe à principio, eundem sensum indicans ponderat illam particulam ad hoc, quam dicit indicare diuinam longanimitatem, bonitatem & tolerantiam, & glossa ordinat, dicit nihil defuisse ex parte Dei, & D. Thomas ibidem ait contulisse Deum vineæ omnia beneficia necessaria ad ferendos vuarum fructus, & ideo illos expectasse.

Hæc autem moralis ratio quam ex Scriptura deprompsimus, in ratione etiam naturali supra tacta fundata est, quia ostendimus sine auxilio sufficienti modo à nobis explicato non constituit operationem in libera hominis potestate, seu in tali potestate, quæ possit liberè uti cum non habeat in sua potestate aliquid necessarium ad talem vsum: imputatio autem ad culpam supponit hanc libertatem. Quis enim homini imputet, quod non videat, licet oculos habeat, si non esset in potestate eius habere lucem, aut quomodo potest alicui haberi vires & pedes, ad ambulandum culpe attribui quod non ambulet, si habet pedes ita ligatos ut compedes auferre non possit; sicut ergo iustus accusatio (ut ita dicam) supponit libertatem quæ non est circa supernaturalia opera sine auxilio sufficienti pleno, ita non deest legitima accusatio quando auxilium sufficiens non habetur. Et hæc ratio ignorantia inuincibilis inducit legitimam excusationem, quia non est in potestate hominis, nec eius voluntate illam deesse. Eadem autem ratio de quacumque alia carentia rei, vel conditionis necessariae ad operandum, si non est in manu hominis illam non carere, seu (quod idem est) rem illam obtinere, & confirmatur, & declaratur vtriusque, quia homini non operanti vel imputatur carentia potestatis, vel carentia operationis, aut honestatis alicuius. Non primum, per se non precipitur posse, sed agere, tum quia habere potestatem ad actus supernaturales non est nostræ libertatis, sed diuini muneris. Dico autem per se, & proxime, quia interdum carentia potestatis potest homini imputari, quia ponit impedimentum vocationi, per quam incipit potestas dari: nunc autem prius imputatur homini defectus aliquis honestæ operationis, seu peccatum aliquid, ratione cuius caret tali potestate, & ita per se primò carentia operationis debita est, quæ imputatur; ergo homini iam vocato non imputatur defectus potestatis, sed defectus debiti vñs gratiæ: ergo hic vñs debet esse omnino in hominis potestate; ergo omnia necessaria ad vsum debent constitui in hominis potestate, ut auxilium illi datum ante operationem sufficiens censetur.

Denique doctrina hæc desumpta est ex Augustino q. 2. lib. 2. ad Simplicium. vbi prius generatim dicit. Opus est velle, & currere, non enim frustra dicitur, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis, & in currere ut comprehendatis. & postea de Esau subiungit, Noluit ergo Esau, & non cucurrit, sed esset volutus, & cucurrisset, Dei adiutorio prauenisset, quia etiam ei velle & currere vocando prestatet, nisi vocationis contemptu reprobatus fuisset. In his enim verbis supponit Augustinus habuisse Esau auxilium sufficiens, & per illud habuisse potestatem non remotam, sed proximam, nec tantum physicam, sed moralem, & liberam, per

2.
Probat
gratia suffi-
ciens mora-
li ratione,
fundata in
Scriptura.

Carentia o-
perationis
ad salutem
non esset
imputanda
homini, si
Deus gra-
tiam suffi-
cientem
denegasset.

Quomodo
intelligi de-
beat illud
Dei apud
Isaiam,
Quid est
quod debui
vltra facere
vineæ meæ,
& non feci
ei?

612

per quam & velle & currere erat sibi concessum, nisi in vocationem contemneret; ergo ex intentione Augustini auxilium sufficiens, quod dicitur sic ut homini impetur ad culpam, non vult, sed de non pertineat, tale esse debet, ut ipsum velle & currere ratione talis auxilii sit in hominis potestate & voluntate; ergo necessarium est, ut per tale auxilium omnia necessaria ad volendum in homine possint dari potestate & voluntate. Hoc ipsum sentit Augustinus, ubi cumque auxilium sit sufficiens, est per conditionalem illam locutionem, dicens, per sufficiens auxilium dari homini ut operari possit, si velit. Si explicare gratiam data. Ad hoc de correptione & grat. cap. 11. dicens, talis fuisse adiutorium datum Augustino, quod si vellet, si vellet, & in quo permaneret, si vellet, & in cap. 12. ait in voluntate hominis fuisse possum, & cum adiutorio Dei, sine quo perseverare non posset, manere si vellet; ergo illa conditionalis; parati velut, si possibilibus, & re vera per auxilium sufficiens; ergo per tale auxilium ponitur in voluntate hominis, quicquid est necessarium ad volendum. Nam si aliquid necessarium ad volendum non est in eius potestate, quia nec illi datur, nec offertur sub ea saltem conditione si velit, profecto non potest dici, ipsum velle esse in eius libertate potestate; esseque verbis ludere & illudere hominem, si dicatur posse, si velit, si aliud non est in potestate & libertate eius obtinere aliquid ita necessarium ut velit, ut repugnet, sine illo ipsum velle in rerum natura constitui.

Ad primam ergo difficultatem in principio positam, quae distinctionem auxilii sufficientis ab efficaci petebat, responderetur, non distinguere per hoc quod sufficiens sola auxilia excitantia, efficacem vero adiuvantia, seu cooperantia includat, verumque enim utraque complectitur auxilia, ut de efficaci notum est, & infra dicetur, & de sufficienti ostensum est, ut praecedenti. Differunt ergo in modo postulandi, seu includendi cooperantem gratiam, seu concomitantia auxilia. Auxilium enim sufficiens, si sit proximum, includit omnia praeventia auxilia actu recepta, non minus quam auxilium efficax, & ita in illis auxiliis conuenire possunt, imo & esse aliquo modo aequalia, ut postea dicemus. Differunt autem, quia sufficiens auxilium habet auxilium concomitans tantum oblatum ex parte Dei, & positum in voluntate operantis; in re vero ipsa sine illo subsistit & inuenitur, & hanc separationem in conceptu suo includit, quatenus dicit tantum auxilium sufficiens. Auxilium autem efficax etiam auxilium concomitans in re ipsa datum, & actu positum, vel talem habitudinem ad illud, ut ab illo nunquam separetur. Unde autem hoc proueniat, postea tractabimus.

Ad secundam difficultatem, in qua tangitur alia differentia vulgaris, quod auxilium sufficiens dat posse, efficacem autem dat velle, seu operari, differuntiam sano modo intellectam, esse veram. Dico autem sano modo intellectam, quia seruata proportione etiam auxilium efficax dat posse concomitantem cum actu, & auxilium sufficiens suo modo dat velle operari, etiam quia licet in effectu non conferat velle operari, constituit illud in potestate & voluntate operantis, si velit ut ex Augustino explicauimus. Tum etiam, quia tale auxilium ex se & intentione Dei, datur homini non tantum, ut possit, sed etiam ut faciat, nulla enim potestas datur propter se, sed propter actum, et si potestas sit sufficiens, data potestate, datur actus, quantum est ex parte dantis potestatem, & si licet si potestas sit libera, & actus etiam constituitur in voluntate recipientis potestatem, ideoque omnia requirita ad actum in eiusdem constituuntur potestate & voluntate; differentia ergo, & verus sensus est, quod auxilium sufficiens, ita dat potestatem cum omnibus requisitis ex parte Dei ad operandum, ut non secum afferat operationem, aut voluntatem actualem, & ideo dicitur dare posse, non quia de se non det etiam agere, sed quia profecto illud non praestat. Auxilium autem efficax ita dat potestatem actu influentem, & operantem, & ideo ratione ultimi actus dicitur dare ac velle, & operari, vel permanere, seu perseverare, & similia. Et simili modo si vocatio sit efficax, dicitur facere ut velimus, quia infallibiliter secum affert consensum; vocatio autem sufficiens tantum de se etiam facit ut velimus, nam ad hoc sufficienter inducit, in re tamen non allequitur, quod intendit, & ideo dicitur potius dare ut possimus, quam facere ut velimus, utque simpliciter, & absolute, nam cum illo addit de se, etiam id potest & debet admitti.

In tertia vero difficultate petitur, unde habeat auxilium sufficiens ut actu non operetur, & ita sit in efficaci, & de conuerso unde habeat auxilium efficacem ut infallibiliter effectum consequatur, sed de primo puncto dicemus in sequenti capite, de secundo vero in sequenti libro. Nunc solum dicimus posito auxilio sufficienti prout a nobis explicatum est, sola quidem libertate arbitrii prouenire ut non operetur, quod autem operetur, non prouenire a sola libertate, sed ut per gratiam adiutam, quod tamen adiutorium alteri non denegat, nisi restitisset: haec autem multa declaratione indigent, quae paulatim tradenda sunt.

Ad fundamentum demique contrariae sententiae dicimus in primis cum auxilio sufficienti dari aliquid quo modo concursus concomitantem gratiae ad operationem necessarium. Hic autem concursus duobus modis dari potest, uno modo in se, seu in actu secundo, & sic repugnat dari sine ipsa actuali operatione, quia in re non distinguitur ab actuali operatione, ut superior libro viderimus, cuius concomitante concursus gratiae hic praestitus numquam separatur ab auxilio efficaci. Alio ergo modo potest dari hic concursus quasi in actu primo non inherente homini, sed assidente, quia nimirum Deus ipse, qui potest solus illum concursus in exercitio praestare, intus adest voluntati iam excitatae & vocatae, & de se paratus est ad concurrendum cum illa, si per ipsam non steterit, & hoc satis est, ut voluntas simpliciter possit & habeat omnia requisita in sua potestate, quia quod per alium possumus, curus adiutorium paratissimum est, si illud suscipere volumus, verissime & propriissime possumus. Cum autem incipit, quia hic concursus debet incipere ab ipso Deo. Respondemus ex parte Dei incipere debere ab ipso, nec posse ab alio, quam a sua voluntate trahi ad concurrendum; illam tamen Dei voluntatem iam esse paratam, & per illam esse quasi applicatam, & expositam potentiam Dei, ut simul cum homine influat, ipso etiam homine suum opus inchoante. Quapropter ad obtinendum a Deo hunc simultaneum concursus, non est necessaria aliqua praeparatio hominis operatio, sed solum simultanea cooperatio.

Unde est habendum praeculis discrimen inter auxilium praeventiens, in quo Deus solus sine hominis operari incipit, aliquid in homine faciendo; quod non facit homo: auxilium simultaneum, & concursus merè concomitantes. Nam auxilium praeventiens si ad opus hominis sit necessarium, & non sit iam datum ad extra, ut ita dicam, nec in homine receptum, non potest offerri & esse ita paratum ex parte Dei, ut etiam immediate positum in voluntate hominis

Gratia sufficienti
dedit potestatem
ut operetur

Par ratione
quod sit, ut
gratia sufficienti
dedit potestatem
ut operetur

Respondetur
autem
concurrente
sententiae
concursum
ad operationem
necessarium

Discrimen
inter auxilium
praeventiens
& simultaneum
concomitantes

nis per illud operari, sed tantum potest constitui mediata in hominis potestate, id est, vel mediante aliquo alio actu, qui sit in eius potestate, quem si fecerit, infallibiliter ei dabitur tale auxilium, vel saltem media carentia alicuius impedimenti, quod liberè possit homo non ponere non peccando Ratio est illa, quæ in fundamento contrariæ sententiæ facta est, quia cum illud auxilium debeat incipere à solo Deo, si non absolute datur, sed sub conditione offeratur, si homo aliquid faciat, necesse est, ut id quod ab homine exigitur ad obtinendum actu illud auxilium, non sit faciendum ab homine cum illo eodem auxilio, quia illud debet à solo Deo inchoari, ut supponitur: ergo debet aliquis alius actus, ad quem non sit necessarium illud præstium auxilium, vel carentia pravi actus, quo etiam possit homo liberè abstinere, sine eodem auxilio, quia impossibile est postulare ab homine dispositionem ad obtinendum præueniens auxilium, quæ ipsemet actus, qui sine illo præiuxilio fieri non potest, ut in lib. sequenti latius ostendimus.

Hic autem non agimus de præueniente auxilio, dicimus enim auxilium sufficiens si sit proximè sufficiens & completum includere omnia auxilia præuenientia, non tantum oblata, sed actu data; nam si aliquid est tantum oblatum, aliud auxilium datum, non erit proximè sufficiens ad illum actum, ad quæ aliud præueniens auxilium offertur, sed poterit esse tantum sufficiens remotè, mediante scilicet alio actu orationis, verbi gratia, vel alterius dispositionis necessaria ad obtinendum novum auxilium, ad quam dispositionem præstandam prius auxilium erit proximè sufficiens, & includit omnia auxilia præuenientia ad illum necessaria actu iam data, ut satis declaratum est & probatum. At verò concursus concomitans eo ipso quod est sufficienter oblativus ex parte Dei, est immediatè in hominis potestate, quia non indiget homo alio actu, ut illum à Deo obtineat, quia ad illum actum esset necessarius alius concursus, & sic procederet in infinitum, sed solè necessarium est, ut homo liberè præbeat influxum ex parte sua necessarium ad actum; nam tunc eo ipso Deus influit ex vi præcedentis voluntatis, quæ suū influxum homini obtulit. Et ratio est, quia in hoc influxu & concursu nihil Deus solus operatur in homine, quod non etiam faciat homo, nec è converso, sed in causando simul omnino incipiat, idèque optimè potest concursus Dei offerri homini, si velit Deo cooperari ad illummeractum, ad quem concursus Dei paratus est.

Quod verò ultimo loco addebatur de prædestinatione, aut prædefinitione voluntatis Dei ad rem præsentem non pertinet, quia quidquid sit de modo, qui hi actus sunt in Deo respectu actuum humanorum & liberorum, illi non pertinent ad auxilia gratiæ necessaria ad operandum, sed ad modum quo Deus tamquam primus author gratiæ efficit, vel providet talia auxilia, de quo modolice alibi copiosè dixerimus, aliqua in libro sequenti attingemus. Nunc autem solum dicimus auxilium sufficiens, etiam si non procedat ex voluntate Dei absolute præiniente actum hominis, debere esse tale, quale illud descripsimus, ut sit verè sufficiens, imò etiam addimus quoties actus, propter quem datur auxilium sufficiens, non est prædefinitus, aliqua ex parte ipsi homini posse attribui, ut in materia de prædestinatione latius tractatur, & ex dicendis in sequenti capite declarabitur.

Denique hinc solum manet tertium argumentum in capite primo relictum, quod petebat quo modo illa duo membra inter se distinguantur, vel opponantur; dicendum est enim distingui tamquam includens & inclusum, & quasi privatiuè opponi. Declaratur, quia gratia sufficiens dat vires sufficientes voluntati, ut cum Augustino loquamur; gratia verò efficax dat vires efficacissimas: vires autem efficaces etiam sunt sufficientes; ergo includit efficax totum id quod est ab illius quasi positivum in sufficiente, & addit infallibilem connexionem cum operatione, quam non includit sufficiens; ergo ob rationem priorem rectè dicuntur distingui ut includens & inclusum: posteriori autem ratione gratia sufficiens quandam privationem includit, propter quam potest dici inefficax, ac subinde privatiuè opponi efficaci, & tunc obiter intelliguntur duo, vnum est diuisionem hanc esse sufficientem, quia per membra immediate opposita traditur. Aliud est, propter hanc diuisionem non multiplicari gratias actuales, vel habituales supra enumeratas, sed easdem explicari cum diuersis habitudinibus ad actuale operationem, ut declaratum est, & hæc sufficere videntur ad simplicem quandam diuisionis explicationem, nam profundior illius comprehensio ex singulorum membrorum pleniori intelligentia pendet: superest ergo ut ea quæ specialiter ad gratiam sufficientem pertinent, in reliqua parte huius libri prosequamur.

CAPVT III.

Verum auxilium sufficiens sit verum auxilium gratiæ internæ distinctum à lege, reuelatione, & doctrina.

In hoc capite præcipuè notandus & refellendus est error Caluini, dicentis nullum esse verum gratiæ interioris auxilium, præter auxilium efficace, quale ab ipso ponitur inducens necessitatem & tollens libertatem; idèque omnia loca scripturæ, in quibus reprehenduntur homines, qui non gratiæ Dei resistunt, interpretabatur de gratia exteriori doctrinæ per Scripturam, vel per prædicationem verbi Dei, ita refertur in id. Act. 7. *Per istum sanctum resistitis*, dicens contaminasse Caluinus locum illum asserens eos resistere Spiritui sancto, qui eum in prophetis loquentem contumaciter reiciunt, quia non de internis reuelationibus & inspirationibus, sed de externo ministerio eiusdem verba intelligenda esse accuratè monebat. Vnde planè conuincitur solam exteriorem doctrinam satis esse putasse ad auxilium sufficiens, cum illi resistere censeatur esse culpabile & reprehensione dignum, in quo errore videtur Caluinus Pelagius consentire, quo ad sufficientem gratiam, licet inefficaci in alio extremo illi contrarius sit, ut postea videbimus. Pelagius enim per solam gratiam prædicationis, doctrinæ, promissionis & exempli dicebat sufficienter iuari possibilitatem naturæ, ut homo possit bene operari, & sanctificari, si velit. Ultra hanc verò gratiam non postulabat alias gratias ad volendum & operandum cum effectu; nam nifus libertatis sufficere putabat, unde fundamentum eius erat, quia proposito obiecto sufficienti voluntas potest circa illud operari si velit; ergo illa propositio obiecti sufficiens per reuelationem, vel alia externa media sufficientia est etiam sufficiens gratiæ auxilium ut homo conuertatur, si velit. Caluinus autem cum gratiam efficacem ad bonum efficiendum cum voluntate requirat, non video quo fundamento dicere potuerit exteriorem doctrinam esse sufficientis auxilium